

2000 TSJCL Sight Recitation  
Levels 1/2 A, 1/2 B, and I

Aeacus rēx erat bonus vir; semper populum iuvāre dēsīderābat. Populus Aeacum benignum amābat et laudābat. Quamquam incolae oppidōrum multam pecūniam nōn habēbant, tamen bene labōrābant et laetī erant.

Sed subitō magna pestilentia terram invāsit. Incolae aegrī erant et nōn iam in agrīs labōrābant. Dēnique haec pestilentia virōs, fēminās, puerōs, puellās necāvit. Iam terra nūllōs incolās habēbat.

Aeacus benignus maximē dolēbat. Sine morā ad templum Iovis properāvit. Ante āram ita ōrāvit: “Ō Iuppiter, magna pestilentia populum meum necāvit. Aut dā mihi populum novum aut necā mē quoque!”

Prope templum erat alta quercus. In rāmīs erant multae formīcae; hae formīcae ad tēcta sua cibum portābant.

Aeacus diū formīcās spectābat et dīxit, “Quam multae sunt hae formīcae! Sed oppida mea nūllōs incolās habent.”

Tum ad rēgiam lēniter ambulāvit.

Noctū Aeacus in somniō quercum iterum videt. Iterum formīcās videt, sed nunc formīcae cibum nōn portant. Per rāmōs ambulant et ā rāmīs cadunt.